D. O. M. A.

IN HONOREM

Nobilium & Ingenuorum

X. ADOLESCENTVM,

Dum in Alma Academia Cracouienſi, VII. Calend: Aprilis,

PER

V. D. M. ALBERTVM MILEIVM ROKITNENSEM, Collegam Minorem, Aſtronomiæ Profeſſorem:

Artium & Philoſophiæ Baccalaurei renunciarentur.

EPIGRAMMATA.

A Studioſis eiuſdem Academiæ cantata.

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij. Anno Domini, 1608.

Ad Excellentem Virum Dominum

ALBERTVM VIRGINIVM

Striensem, Collegam Maiorem, Can: S. Annæ, Philosophicæ facultatis Decanum.

ALme Decane, cuï munus, Veneranda Faculta S
Læta sophûm, doctis tribuẽd I prœmia, confer T,
Binus honor tibi, quem Rarò bis suscipit alte R.
Egregij duce te, Gaude creuêre Magistr I.
Rumpe moram, atque sales Iterum nũc exprime mẽt E.
Te duce nam iuuenum Nouiter fit nobile germe N,
Vranie dea quos fert Is decorauit honesti S.
Sis igitur felix, Viuas per tempora secl I,
Dum sol clarEsCet, dum StAbit iN æthere tellV S.

Paulus Mrozouicki.

APOL-

APOLLO
V. D. M. ALBERTVM MILEIVM, Insignia prima Philosophiæ, X. Candidatis conferentem,
ALLOQVITVR.

QVis bonus hic hoſpes, tam celſa cacumina ſedis
Scandens, inſolito verba cienſq́; modo?
Clangor vbiq; nouus, noua gaudia, plaudit ouatq́;
Quilibet, & curas pellere mente cupit.
Exornare volunt, inſtructos Palladis arte.
Agmina conueniunt, gaudia multa ferunt.
Omnibus eſt ſtudium, mens omnibus vna ſequendi,
Accelerant doctis pectoribusq́; viri.
Vocibus, vt poßint in ſede leuare tonantem,
Qui monſtrat dotes, mentis & ingenij.
Qui confert titulos æternæ munera laudis,
Diſcendi ſtimulos, grande decusq́; loci.
Ergo age, PROMOTOR facunde, benigne, diſerte,
Dignis è ſolio præmia digna dato.

I.
CHRISTOPHORO SABALIO.

ANteit vt turmas præſens ſuper agmina ductor,
Martiaq́; ante alios prælia miſcet ouans.

Sic tu CHRISTOPHORE *hos iuuenes, & corpore, &*
Iure tuo ſuperas, ordine, & arte ſimul. (annis,
Fortunâ comitante, duce & virtute ſecundo,
Primus prima vigil, florida ſerta cape.

Ioannes Laſſota.

II.

CLEMENTI CRASSOVIO.

C*LEMENTI tribuat nomen clementia quare?*
Naturæ dotes, ingeniiq́ vide.
Et pietas decorat iuuenem, atq; modeſtia: caſtus
Hisq́; pudor iunctus, Suada benigna ſimul.
CLEMENS his igitur decoratus dicitur: euge
Conueniunt Lauris nomina crede tuis.

Michaël Liskouius.

III.

MATTHIÆ BVCZKOVICIO.

N*On ego te potero plectro comprendere eburno,*
Cui Suada, & Sophia, & Dorica lingua, fauent.
Inuida pauperies, animos quæ ſueta morari eſt,
Iam tibi nunc cedet, percita honore tuo.
In te vincit opes blandas ars præpete curſu,
Accipe iam Lauros ingenio emeritas.

Hyacinctus Strzegocki.

IV.

MATTHIÆ GVLCZEVIO.

Corpore

C Orpore ceu præstas aliis præclare MATHIA,
Sic præstes diui frugibus ingenij.
Ad Musas tendis, tanquam mercator ad oras,
Quæ benè pro merito, florea serta ferunt.
Pergito: Musarum magno tenearis amore,
Membra notant vires mentis, & ingenij.

Daniel Pasierbek.

V.

BARTHOLOMÆO IANVSSIO.

I Gnescunt dotes genij, monstrante capillo
Discursus: ratio est, iudiciumq́ sagax.
Te natura pias promptum formauit ad artes,
Magnorum pandens abdita verba Sophûm.
Te vehemens decorat docti facundia Crassi,
Igneus ille liquor, Cecropiumq́ decus.

Ioannes Baier.

VI.

MICHAELI FRICZOWIC.

P Ergito FRICZOWIC, felici pergito gressu,
Sarmaticæ splendor, spesq́ decusq́ Scholæ.
Ex lauro viridi properes retinere corollam,
Vtq; viret laurus, sic tua serta virent.
Progredere, ac felix partos tuearis honores:
Ingenio faciles Phœbus amare solet.

Christophorus Nyklaszovvski.

VII.
ANDREAS PROGA.

QVid trepidas? propera, gratosq́ assumito honores:
Augustus locus hic culmina laudis habet.
Agricolis durus venit labor actus in aruis,
Sed fructus posthac commoda magna dedit.
Sic tibi subtili Logico, post mille labores,
Pierides velant fronde virente caput.

Simon Cegielski.

VIII.
ADAMO MIKOSZOVIO.

SIcelidum præclara cohors exornat ADAMVM,
Doctus Apollo mouet pollice fila lyræ.
Quid mirum? quid? nonné valet modulamine cãtus?
Harmonias dulces, voce sonante canens?
Iure igitur iuueni lætos fert Phœbus honores,
Phœbicolæ exornat iure Thalia comas.

Albertus Czuryło.

IX.
VALENTINO ORLOWSKI.

MOribus, eloquio quantùm, ingenioq́ sagaci,
Culte VALENTINE, ac arte valere queas.
Armiger illa Iouis, tribuit quæ nomen habere,
Naturæ dotes, ritè notare potest.

Præpes

Præpes enim volucris pennis ceu transuolat auras,
Sic serto Sophiæ culmina sponte petis.

Thomas Konopácki.

X.

BARTHOLOMÆO POBIEDZICKI.

MVlta virũ decorant, decorat sed vir quoq; multos,
Quos sequitur, veluti pastor amænus oues.
Est pietas cordi, placuitq; modestia menti,
Musica, & eloquio, pectora mœsta leuans.
Vltimus ergo geras, nitido de flore corollam.
Si bonus est finis, cuncta beata manent.

Iacobus Schidlouiensis.

OMNES STVDIOSI OMNIBVS.

MOntibus cessit niuium vorago,
Albicant canis neque iam pruinis
Prata, nec posthac Boreas fugaces
Asperat vndas.
Aureis Phœbum en Aries receptat
Cornibus, Cancrum Thetys ima torquet:
Iam labor vester placidos penates,
Ore serenat.
Grata lux pulchros radios vt vrbi
Spargit, internas penitus medullas
Gaudium inuadit placidum, vndequaque
Corda tepescunt.
Vos chorus Phœbi cecinit futuros,
Palladis doctæ decus; & sorores
Monte cingebant violis in Hybla
Tempora vestra.

Nomen

Nomen hæ tutum nitidumq́; seruant,
Siue per syluas minus hoste tutas,
Siue vos detis tumidæ procellæ,
Oceanoq́;.
Vos Chelys Phœbi, Sophiæq́; splendor,
Omnibus charos faciet, nec vnquam
Munus oblatum minuet, perennis
Temporis ætas.
Plaudite ardentes igitur Camœnæ,
Ferte iam lauros, date mille honores,
Et sacrum tandem placidæ cateruæ
Nectite sertum.
Magne supremæ dominator aulæ,
Qui polum astrorum variis adornas
Ignibus, cui terrigenûm obsequuntur,
Sceptra casæq́;.
In tuo fausti vigeant honore,
Sana dent templis, patriæq́; iura:
Admoue mentem precibus benignam,
Fautor & aures.
Vt tuis tandem meritis adaucti
Et pari, Ductor, sociati in arce
Gloriæ, tecum meritos capessant
Sydera fructus.

IN MOMVM.

IMprobe, quid lanias mordaci carmina dente,
Metraq́; nostra premis?
An tibi, quæ doctis canit ingeniosa iuuentus,
Posse nocere putas?
Si tibi metra placent nec quicquam: liuida pestis,
Tu meliora canas.